

Utrum persone eternales deifice distinguantur ab invicem specificice. Et videtur quod sic. Relationes personarum divinarum constitutive differunt specificice, igitur et ipse persone patet antecedens. Quia paternitas que est relatio constituens patris suppositum differt specificice a filiatione que constituit suppositum filii. Patet consequentia, quia cum ipse relationes constituentes personas sint idem formaliter quod ipse persone tanta differentia distinguuntur persone sicut et ipse relationes constitutive.

Ad oppositum arguitur sic. Qualis pater talis filius, talis spiritus sanctus, igitur quaestio falsa. Patet antecedens per Athanasium in simbolo. Et patet consequentia, quia illa que differunt specificice non sunt similia. Et illa que non sunt similia unum non dicitur tale quale est aliud.

Pro solutione questionis notandum primo quod que duplicem sensum potest habere. Primus est an (58va) persone divine vere et proprie distinguantur specificice ut faciunt dio posita sub eodem genere habentes distinctas differentias specificas et isto modo non differunt specificice quia nec ipse persone divine ponuntur in aliquo genere predicamentorum, sicut nec Deus, ut patet libro 1 distinctione 8. Alius sensus potest esse. Utrum distinctio personarum divinarum magis assimiletur distinctioni specificice creaturarum quam in individuali. Et in isto sensu capio questionem. Pro cuius solutione pono tres conclusiones.

Prima conclusio est: ad excludendum primum sensum tituli presentis, quod essentia divina nec persone sub nullo predicamentali ponuntur genere. Probatur tripliciter. Primo sic: omni illi cui repugnat ratio componibilis cum alio re et ratione repugnat poni in aliquo predicamentali genere. Sed divina essentia et quicquid est Deus est huiusmodi, igitur. Maior apparet, quia ratio generis dividitur contra rationem differentie 5 Metaphisice et est componibilis cum ea 7 Metaphisice textu commenti 43. Et minor apparet, quia cum Deus sit simplicissimum re et ratione non potest in eo esse compositio nec rei nec rationis.

Secundo sic illud de quo nullum genus potest predicari proprie non est sub aliquo predicamentali genere. Sed divina essentia et quicquid est Deus est huiusmodi, igitur. Maior patet, quia genus habet predicari proprie de omnibus sub se contentis tanquam superius de inferiori. Sed minor probatur, quia si aliquod genus posset predicari de Deo hoc maxime videretur de genere substantie. Sed hoc non potest, quia illud solum dicitur substantia quod subsistit illis que in subiecto dicuntur esse sicut in corpore color aut forma, quia ab eo quod est subsistere dicimus substantiam ut clare dicit beatus Augustinus 7 De trinitate capitulo 5. Quapropter concludit ibidem Augustinus quod Deus si substantia proprie dici possit inest in eo aliquid tanquam in subiecto et simplex non est.

Tertio sic illud quod non est species nec individuum alienius generis nullo modo ponitur sub aliquo genere sed Deus non est proprie species, nec individuum alicuius generis, igitur. Maior patet, quia nihil est sub aliquo genere directe quin sit species vel individuum. Sed minor apparet. Primo quod Deus non sit species, quia omnis species componitur ex ge-(58vb) nere et differentia. Et sic nulla species est summe simplex. Item quod nec individuum, quia omne individuum in se habet rationem speciei et sic compositionem generis et differentie. Deus autem nullam compositionem recipit cum sit summe simplex. Ista conclusio est expresse de mente Magistri libro 1 distinctione 8 concludens ex dictis in illa distinctione.

Ex predictis aperitur illa predicamenta Aristotelis dialetice Dei nature minime convenire que nullis subiecta est accidentibus.

Contra conclusionem arguitur Paulus de Perusio ordinis nostri magister libro primo quaestio 20 primo sic: omnis natura recipiens predicationem quiditativam alicuius generis includitur infra illud genus. Sed Deus recipit quiditative predicationem substantie igitur etc.

Secundo sic: conceptus substantie ut est genus generationem est immediatus conceptui entis. Igitur Deus est in predicato substantie. Antecedens est verum, sed consequentia patet, quia Deus necessario cadit sub conceptu entis, quia omnis conceptus substantie includitur in illo.

Tertio sic: in quacunque natura potest reperiri ordo predicabilium secundum sub et supra, in eo est reperiri ratio predicamenti. Sed in Deo talis ratio potest reperiri igitur maior patet de se. Sed minor apparet, quia constat quod ibi est ratio deitatis que est inferior quam ratio speciei et ratio speciei est inferior quam ratio substantie, igitur.

Quarto sic: Deus necessario cadit sub substantia incorporea, igitur et sub substantia predicamentali. Antecedens est verum Et consequentia patet, quia substantia incorporea dividit substantiam predicamentalem etc.

Ad istas rationes respondeo. Ad primam concedo maiorem: si proprie recipiat quiditativam predicationem illius generis. Et nego minorem. Unde dico quod non proprie dicitur 'Deus est substantia' ut ostendit Magister libro primo distinctione octava. Sed tale predicamentum attribuimus Deo magis ad removendum quod Deus non sit accidens, vel quia excelsa Dei balbutiendo ut possumus delcaramus non tamen quod de ipso aliquid ad condignum exprimere valeamus.

Ad secundum nego consequentiam. Ad probationem concesso quod Deus cadat sub conceptu entis, non sequitur quod cadat sub conceptu substantie (59ra) licet substantia includatur infra conceptum entis nam albedo cadit sub conceptu entis, non tamen sub conceptu substantie sed forte diceres si cadit sub conceptu entis, aut est substantia, aut accidens, cum ens dividatur sufficienter in substantiam et accidens, ut vult Philosophus 5 Metaphisice textu commenti 13. Dico quod ibi loquitur de ente ut solum supponit pro ente creato et finito ac limitato.

Ad tertium respondendo ad hominem nego maiorem, nam in albo est reperire talem ordinem ut dicendo 'omne album est coloratum' et non econverso, 'omne coloratum est quale' et non econverso et tamen nullum horum ponitur in genere cum sint concreta. Item nego minorem. Quia dico quod in Deo non est ratio speciei ut generis, ut supponit illa minor. Sed dices contra, quia quicquid est pater est essentia, non tamen quicquid est essentia est pater, igitur essentia est superior ad patrem. Nego consequentiam, quia ad hoc quod aliquid predicetur de aliquo tanquam de suo inferiori non solum requiritur quod predicetur de ipso universaliter et non econverso, sed requiritur quod superius quantam est de se possit predicari et supponere pro aliquo alio quod essentialiter differat ab illo quod non sic est in natura divina.

Ad quartum, nego antecedens, ut patet per Augustinum in secundo argumento ad conclusionem.

Secunda conclusio est quod divina persona producta a persona producente producitur univoce. Probatur tripliciter. Primo sic: persona producta non est imperfectio persona producente. Igitur producitur univoca productione. Antecedens patet, quia tam producta quam producens est infinite perfectionis cum quelibet sit Deus. Et patet consequentia, quia in omni productione equivoca vel non univoca producens et productam differunt et sic non possunt habere equalem perfectionem sed nunquam productum potest esse perfectius producente. Igitur

in tali producens erit perfectior producto sequitur igitur quod ubicumque producens non est perfectior producente quod ibi sit productio univoca.

Secundo sic: omnis productio est univoca cuius producenti et producto est unum nomen commune et una ratio substantie. Sed talis est productio divinarum personarum, igitur est univoca. Maior apparet per (59rb) diffinitionem univocorum quam ponit Aristoteles in Predicamentis. Sed minor patet, Quia persona producens et producta habent unum nomen, quia pater est Deus et filius est Deus et spiritus sanctus est Deus et habet unam rationem substantie. Quod patet, quia hi tres habent unam substantiam numero simplicissimam, igitur univocantur.

Tertio sic: omne productum quod asimilatur producenti in omnibus preterquam in ratione producentis et producti producitur a producente univoce sed producta persona in divinis sic assimilatur persone producenti, igitur. Maior patet, quia productum equivoce non assimilatur producenti in natura cum differant specie. Et sic omne quod in omnibus assimilatur producenti preterquam in ratione producentis et producti producitur univoce. Et minor patet. Nam Filius in omnibus assimilatur Patri excepta sola ratione gignentis et geniti ut ait Damascenus libro 1 capitulo 8 dicens quod tribus personis divinis omnia sunt communia preter generationem et processionem.

Ex ista conclusione infertur responsio ad quaestionem correlarie, scilicet quod persone divine ab invicem non distinguntur specificice. Patet, quia termini inter quos est productio univocam distinguntur specificice persone divine sunt huiusmodi igitur.

Contra conclusionem et eius correlaria arguitur tripliciter. Primo sic: quandocumque aliqua duo opposita distinguuntur formaliter et non nisi formis specificice distinctis, illorum distinctio est specifica, et per consequens inter illa est productio equivocata, <quod?> apparet in omnibus creaturis. Sed distinctio divinarum personarum est huiusmodi, igitur. Apparet minor, quia Pater in divinis in eo quod pater distinguitur formaliter a filio in eo quod filius et non nisi paternitate qua specificice distinguitur a filiatione. Igitur Pater et Filius specificice distinguntur.

Secundo sic: illa distinguuntur specificice quorum principia constitutiva distinguuntur specificice sed principia constitutiva personam distinguntur specificice, igitur. Maior patet, quia non est maior distinctio in principiis quam in principiatis. Et minor apparet, quia constitutum patris est paternitas et constitutum filii est filiatio que tamen sunt due relationes in genere relationis specificice distincte.

Tertio sic: specifica distinctio est perfectior numerali, igitur consequentia patet. Omne (59va) perfectius est principalius Deo attribuendum quam illud quod est minus perfectum, sed antecedens patet, quia distinctio specifica est formalis, numeralis autem magis materialis.

Item quia specifica per se facit ad perfectionem universi, distinctio autem numeralis solum per accidens.

Respondeo. ad primum dico quod in divinis paternitas et filiatio non distinguuntur specificice ut supponit argumentum, quia diversitas specifica infra idem genus infert distinctionem nature cum indistinctis specie non possit esse una natura. Paternitas autem et filiatio habent unam solam naturam vel potius sunt una simplex natura.

Ad secundum dico per idem ad probationem cum dicitur quod paternitas et filiatio sunt distincte species in genere relationis. Dico quod hoc est verum de paternitate et filiatione creata que sunt relationes finite et terminate que ex finitate sua non possunt sibi terminum oppositum substantialiter idemtificare. Sed non sic de paternitate et filiatione infinita, quia paternitas infinita sibi idemtificat terminum oppositum, scilicet filiationem et econverso.

At tertium dico quod aliqua distinctio dicatur perfectior alia potest dupliciter intelligi. Uno modo quia sit maior distinctio et sic concedo antecedens, et nego consequentiam. Alio modo, quia infert extrema distincta esse perfectiora. Et sic dico quod in natura perfecta quanto distinctio est perfectior primo modo tanto est imperfectior secundo modo. Quia quanto a natura perfecta quid magis distinguitur, tanto imperfectius dicitur. Et ideo dico quod in natura summa et perfecta distinctio solum numeralis est perfectior specifica distinctione. Ad probationem dico quod omnis distinctio sumitur a forma et etiam numeralis in rebus creatis. Unde etiam due anime carentes omnino materia, vel duo angeli differunt specificice et si inveniatur aliquando dictum quod distinctio specifica sumitur a forma ibi accipitur forma pro diffinitione vel pro differentia specifica et non pro actu rei.

Ad secundam probationem. Dico quod non sequitur quod si aliquid facit per se ad perfectionem universi quod ex hoc sit perfectius quam illud quod non facit per se, sed per accidens.

Nam quodlibet individuum hominis est perfectius quam tota species asini, licet species (59vb) asini per se faciat ad universum et non hic homo.

Tertia conclusio est quod relatio et essentia non sunt due res in unitate simplicitatis nature, ita scilicet quod sicut persona non differt ab essentia, ut dicit tertia conclusio 25 quaestione. Ita nec relatio differt ab essentia, probatur tripliciter.

Primo sic: si relatio differt ab essentia sequeretur quod in divinis esset quaternitas quod est hereticum libro 1 De summa trinitate et fide catholica capitulo 'damnamus'. Et patet consequentia, quia sunt ibi tres relationes distincte, sed et persone. Et si essentia esset alia res ab illis relationibus, ibi essent quattuor res etc.

Secundo sic: si relatio esse alia res ab essentia esset composibilis cum essentia et determinativa essentie, sed hoc est falsum, libro 1 distinctione 8. Patet consequentia, quia ubicunque est determinatio ibi est ratio actualitatis et ratio potentialitatis et per consequens ratio componibilitatis. Sed si relatio differret ab essentia nulli dubium quod esset determinativa essentie et per consequens esset composibilis cum essentia.

Tertio sic: omnia in divinis sunt unum, igitur. Antecedens patet, quia omnia sunt Deus et Deus unus est. Et patet consequentia, quia si omnia sunt unum. quero de duabus relationibus puta paternitate et filiatione. Iste due relationes sunt unum, aut absolutum, aut relativum. Non relativum., quia in quantum sunt relationes distinguntur. Igitur absolutum, igitur et unum, quod est essentia, igitur et quelibet illarum relationum est essentia. Et confirmatur conclusio, quia ibi non obviat relationis oppositio.

Contra conclusionem adduco aliquas rationes quas tamen in virtute adduxi superiores in quaestione 5 et in quaestio 25, que fundantur in veritate primi principii. Arguitur primo sic: omnia illa quibus insunt extrema contradictionis differunt realiter, sed relationi et essentie divine insunt extrema contradictionis, igitur.

Maior patet per primum principium de quodlibet dicitur affirmatio etc. Et minor patet, quia paternitas divina est realiter distinctiva Patris a Filio. Essentia autem divina non est distinctiva Patris a Filio.

Secundo sic: essentia divina est realiter absoluta relatio divina non est realiter absoluta. Igitur essentia divina non est relatio divina. Apparet antecedens, quia essentia divina dicitur ad (60ra) se relatio autem ad aliud. Et patet consequentia, quia idem realiter non potest esse absolutum et non absolutum.

Tertio sic: illud quo filius est realiter Filius differt realiter ab illo quo Filius non est realiter Filius, sed relatione divina Filius est realiter filius, et non essentia igitur.

Respondeo licet ad istas rationes possit dici ex hiis que dicta sunt superius quaestione 5 et quaestione 25, tamen dico aliter ad presens.

Ad primum quando dicitur quod omnia illa in quibus insunt etc., dico quod ad hoc quod extrema contradictionis possint verificari de aliquibus duobus terminis unum de duobus requiritur. Primo vel quod res significata per illos duos terminos realiter differunt sic quod sint due res quarum una non sit alia, Vel quod significata illorum terminorum licet sint idem realiter, tamen illa res ut stat subsignificato unius termini sit aliqua res que non sit illa ut stat sub significato alterius, et hoc sufficit ad verificationem primi principii. Et isto secundo modo conceditur quod de relatione et de essentia verificantur predicata contradictoria. Quia licet una res significetur per essentiam et paternitatem tamen illa res ut significata per essentiam est aliqua res que non est ipsa ut significata per paternitatem. Quia essentia est filiatio et paternitas non est filiatio.

Ex hoc argumentum concedo quod relatio et essentia non sunt idem realiter sub isto sensu quod essentia est aliqua res que non est paternitas tamen cum hoc stat quod paternitas sit realiter ipsa essentia.

Ad secundum cum dicitur. Essentia divina est realiter absoluta etc. Dico quod si absolutum et respectivum stent pro re extra sic eadem res est respectiva et absoluta unde licet conceptus absoluti et respectivi possint stare pro eadem re tamen diversimode. Quia conceptus respectivus dicitur quia est alterius vel ad alterum sicut patet de paternitate cuius conceptus est dici ad aliud. Conceptus autem absolutus dicitur quia est ad se, sicut patet de essentia et ex isto non debet inferri talis distinctio, quia eadem res potest esse absoluta et respectiva secundum diversos conceptus vel respectus vel si aliqua distinctio debeat inferri ex hoc. In divinis inter absolutum et relativum non erit talis distinctio quod absolutum et relativum sint due res, sed talis quod unum ipsorum est aliquid quod non est aliud, ut dictum est ad primum.

Ad ter- (60rb) tium., dico quod illud quo filius est realiter filius et quo filius non est filius est idem realiter, sed ad verificandum illam contradictionem sufficit quod unum illorum sit aliquid quod non est aliud et sic conceditur quod essentia est aliquid quod non est filiatio, quia est paternitas.

Ad argumentum primum in oppositum patet per solutionem. Ad primum contra secundam conclusionem.